UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis, quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, & praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque obeundi

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

I. Affectus Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50863

Visual Library

accedunt ad Dominum ſanctificentur, ne percutiat eos. Exod. 19. Quantâ diligentiâ, quantâ devotione & virtute ſe diſponere ac ſanctificare debebit Novæ Legis Sacerdos, ut non legem, ſed ipſum Legislatorem infinitæ majeſtatis ſuſcipiat?

Suſpiria per diem.

Dominus in igne veniet *Iſaiæ 66.*

Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. *Cant. 8.*

Veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.

Pro compoſitione loci, cogita te in Cœnaculo, in medio Apoſtolorum & Diſcipulorum Spiritum S. in forma ignis ſuſcipientium, preces fundere aut ad aram facere.

ANTE SACRIFICIUM.

Pro ſeptem hebdomadis diebus.

I DIE DOMINICA

I. *Affectus Fidei.*

O Fili Dei altiſſimi, in hoſtia ſancta, & benedictionis calice, credo te præſens eſſe Verbum divinum, Verbum vivum, æ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ternum, infinitum, quod egreſſum eſt egreditur, & egredietur in æternum ex ore Patris æterni, manens etiam intra ipſum cum omni divinitate: Verbum omnipotens, per quod omnia facta ſunt, & conſervantur. Cùm verò tu, ô Dei Verbum! dixeris Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt*; ac proinde, ubicunq; eſt Filius, ibi quoque ſit Pater; credo etiam in auguſtiſſimo Sacramento adeſſe Patrem æternum, qui intra ſeipſum Filium ſuum generat, quem ſemper generat, ſuamque illi divinitatem communicat, & ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, & fide vivâ recipit, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Cùm autem nulla Perſona divina ab aliis ſeparari valeat: credo quoque in hoc myſterio præſentem eſſe Spiritum Sanctum, qui Patrem & Filium ob naturæ unitatem comitatur; quem Pater & Filius mutuo inter ſe amore exardeſcendentes ſpirant, & æternùm ſpirabunt. Quâ igitur præparatione & puritate, quo conatu & fervore ad ſanctam, adorandamq; Trinitatem ſuſcipiendam me diſponam?

II. Pe-